DISSERTATIO MEDICA INAVGVRALIS

SISTENS

# DIARRHOEAE PATHOLOGIAM

QVAM

*ANNVENTE DIVINO NVMINE*

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

ERN. AVG. CONSTANTINO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE ET WESTPHALIAE, RELIQVA

*SVB PRAESIDIO*

GEORGII ERH. HAMBERGERI

PHILOS. ET MED. D. PHYSIC. CHIMIAE ET PRAXEOS P. P. O. SERENISSIMORVM SAXON. DVCVM STIRPIS ERNESTINAE CONSIL. AVLICI ACADEM. NATVRAE CVRIOSOR. SODALIS CONCILII ACAD. ASSESSORIS MEDICI PROVINC. IENENS. ET FACVLT. MEDICAE SENIORIS

PRO GRADV DOCTORIS

LEGITIME OBTINENDO

DIE XI. OCTOBRIS AN. M DCC LII.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

*AVCTOR*

GERHARDVS MEIER

BREMENSIS

DESIGNATVS ILLVSTRIS GYMNASII PATRII MEDIC. PROFESSOR PVBL. ORD. AC REIPVBLICAE PHYSICVS.

IENAE LITTERIS RITTERIANIS.

§. I.

PARTES ciborum craſſiores ac ad nutritionem ineptas, vna cum adhaerentibus bilis viſcidioribus, aliorumque noſtri corporis humorum, partibus, in inteſtinis tenuibus remanere, ac ad inteſtina craſſa ſicque ad anum propulſas, ope excretionis aluinae e corpore noſtro eliminari phyſiologia docet. * Haec excreta quanquam, experientia teſte, in diuerſis hominibus ratione formae admodum varient, ita ut in quibusdam ſint fluidiora, in aliis autem ſpiſſiora, ac ipſa excretio in aliis ſit frequentior, in aliis vero minus frequens ac tardior; illud tamen generatim, eadem hac experientia duce, affirmare licet, in plerisque hominibus ſanis ea ad ſolidam formam accedentia excerni, ipſamque excretionem, licet in diuerſis ſubiectis diuerſa, tamen vt plurimum ſtata obſeruare tempora. Quando autem loco huius excretionis naturalis, materia ſo-



* Vid. Venerandi PRAESID. Phyſiol. Med. Cap. IX. Sect. VII.

lito fluidior, frequentius ac maiori copia per hanc viam e corpore egeritur, Alui fluxus generatim adesse dicitur.

§. 2.

Alui hic fluxus praeternaturalis varia iterum sortitur nomina, partim ratione materiae, quae excernitur, partim ratione illius et aliarum, quae accedunt, rerum varietate. Ratione enim materiae, Lienteria hic fluxus audit, quando alimenta fere immutata per hanc viam excernuntur; Coeliaca autem, quando alimenta semicocta ope huius excretionis egeruntur; quando vero quaecunque alia materia fluida tali modo excernitur, hic fluxus Diarrhoeae nomine generatim venire solet.

§. 3.

Ratione autem materiae excretae ac aliarum hanc excretionem concomitantium rerum varietate Dysenteria hic fluxus alui nominatur, vbi excretio materiae praeternaturalis cum tenesmo ac atrocioribus torminibus coniuncta est, quibus adhuc quidam ipsorum intestinorum exulcerationem, alii autem febrem, ex eadem cum hac excretione causa oriundam, adiungunt. Quando autem absque intestinorum exulceratione ac caeteris ad Dysenteriam requisitis alui fluxus praeternaturalis adest, strictiori sensu Diarrhoea haec excretio salutatur. Ex quibus simul patet, Diarrhoeam esse actionem laesam, adeoque symptoma et quidem excretionis deprauatae. De hoc symptomate quaedam in praesenti tractatione disserere apud animum constituimus.

§. 4.

Ex dictis (§. 1.) apparet, vt Diarrhoea adſit tria generatim requiri: primo vt excreta ſint fluida, ſecundo vt maiori copia excernantur, denique vt excretio ipſa ſit frequentior. Vt igitur ordine progrediamur, de ſingulis his in ſequentibus ſeorſim agemus. Primo itaque videbimus vnde excreta fiant fluida.

§. 5.

Quum excreta per aluum in ſtatu ſano ad ſolidam formam accedant (§. 1.), per ſe patet, illa fieri fluida non poſſe, niſi ope huius excretionis fluida ſimul excernantur, quae in ſtatu naturali non, vel minimum non in tanta quantitate, per hanc viam e corpore egeruntur. Excernuntur autem feces, quatenus ope canalis inteſtinorum ad anum deferuntur, ſi igitur per hanc excretionem fluida euacuentur, fluida quoque vt ope canalis inteſtinorum huc verſus defluant, neceſſe erit.

§. 6.

Poſſunt quidem etiam fluida per hunc locum e corpore euacuari, quae non ope canalis inteſtinorum ad anum antea delata ſunt, e. g. quando ſanguis ex vaſis haemorrhoidalibus apertis per anum effluit, aut alia vaſa iuxta anum aperta fluida ſua transmittunt; quum vero nemo hos fluxus ad Diarrhoeam referat, de illis etiam nobis ſermo non erit. De iſta igitur fluidorum excretione tantum agemus, qua excreta mediante canali inteſtinorum ad anum allata ſunt. Quia autem nullum fluidum, tali vt diximus modo, ad locum excretionis deuenire poteſt, niſi antea ad cauum inteſtinorum perueniat, videbimus, quae fluida ad cauum inteſtinorum

peruenire queunt, et vnde tanta, vt in noſtro caſu requiritur, copia, ad anum adferuntur.

§. 7.

Fluida, quae ad cauum inteſtinorum peruenire poſſunt, licet ſint admodum varia, generatim tamen commode in duas claſſes diuiduntur: vt ſint nempe vel talia, quae in ſtatu naturali plane huc non perueniunt, in ſtatu autem praeternaturali huc verſus defluere queunt; vel talia, quae in ſtatu ſano quoque ad cauum inteſtinorum adferuntur.

§. 8.

Ad primam claſſem (§. 7.) ab obſeruationum medicarum ſcriptoribus varia iterum referuntur fluida, quae infra nominabimus. Ad alteram autem claſſem, vti ex anatomicis conſtat, pertinent:

1.) quae in inteſtinis craſſis fecibus admiſcentur: vt ſunt liquor ex glandulis horum inteſtinorum, ac iſtud liquidum, quod in glandulis proceſſus vermiformis ſecernitur, *

2.) quae ad inteſtina tenuia defluunt, quorſum potiſſimum referri merentur: Potulenta, ſaliua, cuius maxima pars ad ventriculum et ſic ad inteſtina defluit, licet etiam quaedam eius pars in quibusdam hominibus exſpuatur, lympha, quae in oeſophagi ac ventriculi glandulis ſecernitur, liquor ex glandulis Brunneri in tunica duodeni, ſuccus pancreaticus ac bilis. **

§. 9.

* Vid. iterum Illuſtris PRAESID. Phyſiol. med. §. 805.

** Vid. Diſſertat. ſub praeſidio Venerandi PRAESID. habit. de Purgantibus §. 6. et ſeqq.

§. 9.

Haec igitur quum ſint illa fluida, quae in omni Diarrhoea excerni queunt (§. 7. et 8.), de horum ſingulatim ad anum adfluxu in ſequentibus agemus. Primo itaque de vltimo dictorum, (§. 8. n. 2.) poſtea vero de illorum, quae n. 1. §. 8. memorauimus, denique autem de fluidorum prioris claſſis (§. 7.) adfluxu tali, vt aluus inde euadat fluida, dicturi ſumus.

§. 10.

Antequam autem de humorum (§. 8. n. 2.), ſiue de humorum ex inteſtinis tenuibus, ad anum adfluxu praeternaturali agere poſſumus, neceſſe erit, vt quaedam horum humorum adfluxum ad inteſtina ac anum naturalem concernentia praemittamus, quum inde eo melius perſpici queat, quaenam mutatio in corpore noſtro oriri debeat, vt talis effectus inde producatur. Omnes vero hi humores, poſtquam plurimi in diuerſis noſtri corporis locis ex masſa ſanguinea ſunt ſecreti, coniunctim magna ſatis copia ad inteſtina tenuia in varios vſus deferuntur. Huc autem quando ſunt delati, tempore chylificationis cum chylo, extra vero hoc tempus per ſe, vaſis abſorbentibus, in horum inteſtinorum caua hiantibus, adplicati, ope horum vaſculorum maximam partem, imo eadem fere quantitate, qua ad inteſtina defluxerunt, ad Masſam ſanguineam reuehuntur, parua vero eorum copia, partibus ciborum, ad tranſitum per haec vaſcula ineptis, manet admixta, ac cum his ad craſſa inteſtina, ſicque ad anum defertur.

§. 11.

Ex his praemiſſis apparet, hos humores, in ſtatu ſano, non in tanta copia ad inteſtina craſſa peruenire, vt, ſi ea-

ſi eadem, qua huc verſus delata ſunt, copia etiam ad anum deuenirent, aluus inde fluida euadere queat. Id quod et experientia eo confirmat, dum, in inteſtinis craſſis demortuorum, nunquam, niſi in ſtatu morboſo, fluida, vti in inteſtinis tenuibus fit, inueniuntur ſed feces ſolidioris iam formae. Ex horum igitur humorum excretione aluus vt fiat fluida, necesſe erit, primo, vt maiori quam in ſtatu naturali copia ad inteſtina crasſa perueniant, ſecundo, vt ea, qua huc aduenere, copia, etiam ad locum excretionis deferantur.

§. 12.

Vltimum quod attinet, non opus erit vt in eius rationem ſpeciatim inquiramus. Quanquam enim non negamus, dari homines, quorum inteſtina crasſa vaſculis abſorbentibus gaudent, quorum ope humores huc allati, ſi iterum reueherentur, vti in inteſtinis tenuibus fieri diximus (§. 10.), eorum maior copia ad anum non deueniret; non tamen veroſimile eſt, illa in ſingulis hominibus adeſſe *, adeoque hoc argumentum non erit uniuerſale. Imo in illis quoque hominibus, quorum inteſtina craſſa vaſculis his inſtructa ſunt, hæc tamen non poterunt fluida, quae ex inteſtinis tenuibus, ac idcirco maiori quantitate, huc verſus adfluunt (§. 10.) reuehere, ex ratione infra dicenda (§. 18.). Haud igitur dubitare licet, hos humores, quando maiori, quam in ſtatu naturali, copia ad craſſa inteſtina deueniunt, etiam maiori quantitate ad anum eſſe defluxuros.

§. 13.

Maiori, quam in ſtatu ſano, copia humores ex inteſtinis tenuibus ad craſſa peruenire non poterunt, niſi eorum

* Vid. Illuſtr. PRAESID. Phyſiol. Med. §. 767.

eorum adfluxus ad inteſtina tenuia et ex his ad Maſſam ſanguineam refluxus, quem in (§. 10.) deſcripſimus, proportio mutetur, id eſt niſi eorum adfluxus ac refluxus, qui in ſtatu naturali fere aequales ſunt, fiant inaequales; quam diu enim hi humores eadem fere quantitate ad Maſſam ſanguineam refluunt, qua ad inteſtina allati ſunt, eorum adfluxus ad craſſa erit naturalis ergo non maior. Hi vero alio modo inaequales fieri non posſunt, quam vt minori copia refluant, qua adfluxerunt, maiori enim quantitate hos humores refluere cogitare non licet.

§. 14.

Nec neceſſe quoque erit, vt aliam, praeter hanc dictam mutationem (§. 13.), rationem humorum ex inteſtinis tenuibus ad craſſa maioris adfluxus adſumamus. Quum enim ex inteſtinis tenuibus ad craſſa in ſtatu ſano aperta adſit via, ac feces quoque per hanc viam protrudantur, hi humores quoque ea, qua ad inteſtina tenuia delati ſunt, id eſt magna ſatis copia (§. 10.) ad crasſa peruenirent, niſi in ſtatu ſano eorum motus aliorſum determinaretur, id quod fit, dum eadem fere, qua huc allati ſunt, copia ad Maſſam ſanguineam iterum deferuntur. Poſita igitur hac mutatione, vt minor ſit quantitas humorum ex inteſtinis refluentium, quam adfluentium, minimum pars horum humorum, quae alias ad craſſa inteſtina non perueniſſet, huc verſus defluet, ac erit adfluxus horum humorum ad craſſa inteſtina maior.

§. 15.

Cum itaque ex dictis pateat (§. 13. 14.), talem mutationem, qua fluida minori copia ex inteſtinis tenuibus

ad ſanguinem reuehuntur, qua huc adfluxerunt, fluidorum ex his inteſtinis adfluxum ad locum excretionis auctum producere, inquirendum nobis erit, vnde talis mutatio in corpore noſtro oriatur.

§. 16.

Vt humores in ſtatu ſano dicto ſcilicet modo (§. 10.) ad Maſſam ſanguineam refluant, ſequentia requiruntur: primo, vt humores ad transitum per vaſcula abſorbentia ſint apti; ſecundo, vt haec vaſcula humores decenter transmittant; tertio, vt humores quoque rite ad haec vaſcula adferantur. Si ergo minori copia hi humores refluunt, qua ad inteſtina adfluxerunt, hoc haerere poterit vel in humoribus ad transitum per vaſcula abſorbentia ineptis; vel in vaſculis his humores non rite transmittentibus, vel in vtrisque, vel denique in eo, quod humores licet ad tranſitum per haec vaſcula rite quoque conſtituta, ſint apti, potius verſus inteſtina craſſa quam verſus vaſcula abſorbentia deferantur.

§. 17.

Humores ad inteſtina allati ſi ad transitum per vaſcula abſorbentia ponantur inepti, hoc generatim vt vel ab eorum qualitate, quantitate vel motu dependeat neceſſe erit, praeter enim has dictas humoribus noſtris nullas competere mutationes ex pathologicis notum eſt. Priori ex cauſa, ob prauam nempe eorum qualitatem, ad transitum ſunt inepti, ſi ſint nimis viſcidi, vel partes non ſatis attenuatas habeant commixtas, vel ſi ſint acres. In priori caſu, ob nimiam cohaeſionem inter ſe, iſtae particulae, quae in vaſa abſorbentia penetrare conantur, a reliquis cum quibus cohaerent retinentur, in

altero,

altero, ob diametrum particularum non ſatis attenuatarum, cum ſuperficie tamen interna inteſtinali cohaerentium, maiorem, qua cohaeſione aliis minoribus via praecluditur, abſorptio fieri non poteſt; in tertio vero, ipſa fluida abſorbenda, irritando et conſtringendo vaſa abſorbentia, ſibi viam praecludunt. Quantitas humorum alio modo defluxum ad inteſtina craſſa maiorem efficere nequit, quam ſi excedat, vel, quod in noſtro caſu eodem redit, ſi motu maiori ad inteſtina adfluat: Vaſa enim abſorbentia, licet ſint rite conſtituta, hanc maiorem humorum copiam reuehere non poterunt. Remanebit igitur pars minimum horum humorum in inteſtinis tenuibus ac ad craſſa inteſtina defluet.

§. 18.

Non quidem omnis maior fluidorum in inteſtinis tenuibus quantitas praeſens maiorem quoque eorum ad inteſtina craſſa adfluxum producet, hoc enim ſi vniuerſaliter verum eſſet, poſt quamlibet maiorem copiam potulentorum adſumtam aluus quoque fluida euadere deberet, quod tamen experientiae contradicit: Nec quemcunque, etiam maiorem, horum humorum ad inteſtina adfluxum talem effectum producere poſſe, nos affirmare ex iam dicendis (§. 20.) patebit. Eo autem adfluxum increſcere poſſe, quisque concedet, qui conſiderat primarium fundamentum abſorptionis fluidorum in noſtro corpore eſſe, quod fluida vaſculis abſorbentibus adhaereant ac ex adhaeſione penetrent, * adhaeſionem vero ex hoc maiori adfluxu non augeri. Ex phyſicis enim conſtat, adhaeſionem fluidorum dependere par-

 tim

* Vid. Vener. PRAESID. Phyſiol. Med. §. 426.

tim a grauitate ſpecifica vaſorum ac fluidorum, partim a maiori vel minori numero punctorum contactus *, quem in hoc caſu oſcula vaſorum abſorbentium conſtituunt; haec vero omnia ab hoc maiori adfluxu non mutantur.

§. 19.

Maior humorum ad inteſtina tenuia adfluxus, quatenus nempe ad claſſem eorum pertinent, quos feroſos vocant, duplici contingere poteſt modo. Quum enim hi humores ad inteſtina defluant, vti ex Maſſa ſanguinea ſunt ſecreti (§. 10.), eorum adfluxus auctus erit, vel quando omnes coniunctim, vel quidam eorum ſpeciatim maiori copia ſecernuntur. Adfluxum fluidorum ex omnium horum humorum ſecretione aucta maiorem quod ſpectat, licet non negem illum aluum fluidam reddere poſſe, minime tamen exiſtimandum eſt, hanc eſſe ſolam huius rei cauſam, vel illum per ſe talem effectum producere poſſe. Quod enim ad primum attinet, tantum abeſt vt in omni aluo fluida ex humorum ſeroſorum excretione, omnium horum humorum ſecretio aucta ſit, vt potius experientia monſtret, aliquando vnius eorum ſecretionem ſimul eſſe imminutam. Accidit enim ſaepius, vt homines hoc malo laborantes de ſiccitate oris conquerantur, quae adeſſe non poſſet, ſi ſecretio ſaliuae decenti, ne dicam maiori fieret copia.

§. 20.

Nec per ſe, omnibus reliquis in corpore noſtro rite conſtitutis, adfluxus, ex omnium horum humorum ſecretione aequaliter aucta, talem effectum producere poſſe

* Vid. Element. Phyſic. Illuſtr. PRAESID. §. 147.

poſſe videtur. Siue enim haec ſecretio aucta dependeat a maiori copia ſeri in ſanguine noſtro praeſente, ſiue a maiori eius reſolutione, ac ideo ad ſecretionem maiori aptitudine, ſiue a ſecretione ſeri in aliis noſtri corporis locis impedita, adfluxus horum humorum ad inteſtina non admodum auctus erit. Ex duobus enim prioribus, in ipſa materia ſecernenda fundatis, cauſis adadfluxus hic maior ſi eſſet, quum hae cum vniuerſalis ſecretionis ſeri augmenti cauſis coincidant, omnes reliquae ſecretiones ſeri in noſtro corpore ſimul inde augerentur, vnde horum humorum ſecretio aucta non tanti fiet momenti, vt vaſa abſorbentia illam quantitatem reuehere nequeant. Nec adfluxus ex tertia cauſa, auctus niſi vnico caſu excepto, deſideratum effectum producet. Secretiones enim reliquae ſeroſae ſi ſint interceptae, aut vna vel altera tantum erit impedita, vel reliquae omnes ſimul; de priori caſu idem valet, quod de duabus prioribus cauſis diximus, nulla enim adeſt ratio, cur e. g. ſecretione ſeri in renibus impedita, horum humorum ſecretio potius quam illa, quae per cutim fit, augeretur; adfluxus igitur omnium humorum etiam ex hac cauſa huc non erit referendus, niſi conſtet reliquas ſecretiones ſeroſas omnes in corpore noſtro eſſe impeditas.

§. 21.

Quum igitur ex dictis appareat, maiorem copiam humorum in inteſtinis tenuibus praeſentem aluum quidem fluidam reddere poſſe (§. 18.), cauſas vero omnium humorum coniunctim adfluxum augentes talem effectum raro producere (§. 20.), nil reſtat, quam vt huius effectus rationem in cauſis, quorundam eorum adfluxum

augentibus, quaeramus. Ex dictis humoribus (§. 8 n. 2.) nulli, qui memorari hic merentur, restant, nisi bilis, et, ex humoribus serosis, liquor in ipsis his intestinis secretus ac succus pancreaticus, de saliua enim iam diximus (§. 19.), caeterorum vero secretio in statu sano quum parca tantum fiat quantitate, eorum secretio aucta non tanti fieri poterit momenti, vt multum huc conferat. Ratio igitur alui fluidae ex prima (§. 12.) adducta causa, patebit, si speciatim adfluxus aucti horum liquorum causas afferamus.

§. 22.

Duorum posteriorum fluidorum, liquoris nempe intestinalis ac succi pancreatici, maiorem adfluxum adeoque secretionem auctam (§. 19.) quod attinet, quum illa secretio aucta sit particularis, praeter vniuersales secretionis seri augmenti causas, in §. 21. traditas, adhuc particularem eorum secretionis auctae requiret causam, quae non nisi in ipsis vasculis eorum secretoriis, et quidem eorum resistentiae imminutione haerere poterit. Vis enim peculiaris, qua fluida potius versus hunc quam versus alium locum nostri corporis deferuntur, si adhaesionem exceperis, quum in corpore nostro deficiat, ac fluida moueantur quatenus sunt pressa, particularis eorum adfluxus versus vnum locum non erit maior, nisi resistentia in illo loco imminuta sit.

§. 23.

Quaecunque igitur in locis his secretoriis praesens debilitas, siue atonia aut paralyticus status, quia inde resistentia, quam haec loca in statu sano fluido impellenti dant, imminuta est, huc erunt referenda. Eadem

haec

haec resistentia imminuta quoque esse potest a ductuum eorum excretoriorum, ob obstructionem praegressam, dilatatione. In vasculis enim obstructis quum impetus fluidorum maior fiat versus parietes, hi, vt et oscula vasorum, ab impetu aucto dilatantur, vsque dum obstruens traiici queat; obstructione autem cessante oscula haec debilitata manebunt, saltim ad tempus, dilatata, adeoque fluido impellenti postea minus resistent. Lenis vero talis obstructio praegressa, ac superabilis tantum, vt sit necesse esse, per se patet, constans enim haec si foret obstructio, ex adfluxu humorum inde imminuto potius aluus obstructa sequeretur quam fluida.

§. 24.

Bilis autem maioris ad intestina adfluxus causas perspicere difficile non erit, si modo ea, quae de duorum vltimo memoratorum ad intestina adfluentium humorum serosorum secretione aucta diximus, ad huius secretionem adplicemus. Eaedem enim in §. 23. allegatae causae, in ductulis bilis secretoriis praesentes, aut etiam solum copia biliosarum partium relatiue ad reliquas Massae sanguineae partes in sanguine abundans, aut partium biliosarum maior resolutio, quum nullus alius locus in corpore nostro quam hepar existat, quo bilis in statu sano secernatur, quatenus eius secretionem in hepate augent, hunc adfluxum maiorem producent. Quicquid enim huius secretionis auctae sit causa, cystis fellea, ab hac maiori copia extensa, ad contractionem irritatur, ac liquorem contentum in intestinum duodenum propellit, adeoque bilis ad intestina adfluxus auctus erit.

§. 25.

Quanquam autem diximus, aucta secretione bilis eius ad intestina adfluxum quoque augeri, existimandum tamen haud est, ad quemcunque eius adfluxum ad intestina auctum producendum, requiri, vt secretio eius aucta praegressa sit. Quum enim bilis non,vt caeteri in intestinis secreti humores serosi, statim, vti ex Massa sanguinea secreta est, in intestina deferatur, sed antea in cystide fellea conseruetur, ibique collecta demum successiue in intestina excernatur, eius quoque adfluxus ad intestina augeri poterit, nondum licet adhuc aucta eius secretione, si solum haec excretio augeatur, id quod alia ex causa fieri non poterit, quam a vesicula fellea ad propriam constrictionem irritata.

§. 26.

Hanc vltimo allatam causam ad bilis adfluxum ad intestina augendum sufficere, etiam experientia eo confirmat, dum videmus, breui post iram praegressam tempore, in hominibus caeteroquin sanis, aliquando excretionem bilis per aluum euenire, adeoque, quum bilis in statu sano non in tanta quantitate in intestinis praesens sit, adfluxum eius ad intestina maiorem fieri, quum tamen in hoc casu causas maiorem bilis secretionem producentes accusare non liceat, in tam breui enim tempore nec maior copia bilis in sanguine, nec debilitas ductulorum eius secretoriorum oriri possunt. Cuius igitur phaenomeni ratio alia non esse videtur, quam praeternaturalis vesiculae felleae ipsius contractio, in hoc casu a spirituum influxu inordinato ortum trahens, externa enim compressio hic plane locum non habet,

quum

quum nullum tale comprimens in hoc caſu adſit. Quanquam non negamus, eundem hunc animi adfectum bilis adfluxum ad inteſtina augere poſſe, ſi diutius durauerit, ex ipſa bile, ob acrimoniam auctam, eius veſiculam irritante, vel et quatenus veſcicula fellea irritata, ob conſenſum, ductulos ſecretorios in hepate ad conſtrictionem irritat, adeoque ad tempus obſtruit, quam obſtructionem debilitas, dein dilatatio ſequitur, vel et quatenus copiam bilis in ipſo ſanguine auget, eiusque ſecretionem ſic promouet.

§. 27.

Hae igitur ſunt cauſae, quae in noſtro corpore ſi adſunt, quatenus potiſſimorum humorum, ad inteſtina tenuia adfluentium, adfluxum huc verſus augent, ex maiori copia hos humores ad transitum omnium per vaſcula abſorbentia ineptos reddunt (§. 16.), adeoque eorum maiorem ad locum excretionis adfluxum producunt. Illud ſolum, ratione maioris bilis ad inteſtina adfluxus, adhuc monendum erit, illam non ſolum hoc modo, ſed etiam mediate ex acrimonia, qua hic humor etiam in ſtatu ſano prae aliis noſtri corporis humoribus gaudet, tam ſuae ipſius, quam caeterorum in inteſtinis praeſentium humorum adfluxum ad anum maiorem producere, de qua re vero hic iam dicendi locus non eſt.

§. 28.

Licet autem adfluxum humorum ad inteſtina plane non mutatum ponamus, idem tamen effectus erit, ſi ſolum ſecundam, §pho 16. allegatam, in vaſculis abſorbentibus, et quidem humores non rite transmittentibus, ſiue eorum obſtructione haerentem, cauſam adſumamus.

Siue enim haec obſtructio ſit in principio, vbi oſcula horum vaſculorum in inteſtina hiant, ſiue in progresſu, ex transitu humorum inde per haec vaſcula impedito, ſequitur, vt refluxus eorum ad Masſam ſanguineam minori quam in ſtatu naturali fiat copia. Quum vero, his non obſtantibus, humores eadem minimum qua alias quantitate ad inteſtina adfluere pergant, minori quoque copia vt refluant, qua adfluxerunt, neceſſe erit (§. 14.). Remanebit igitur iterum minimum pars horum humorum maior quam in ſtatu naturali in inteſtinis tenuibus, ac ad inteſtina crasſa, ſicque ad locum excretionis, defluet (§. 12.).

§. 29.

Diximus igitur de fluidorum ex inteſtinis tenuibus ad crasſa adfluxus maioris cauſis, quatenus illae vel in humoribus ad inteſtina allatis, vel in vaſculis abſorbentibus haerent, ex quibus ſimul patet, quomodo hic adfluxus maior fit, quando in vtrisque vitium haeret. De illa adhuc agendum erit cauſa, de qua in (§. 16.) diximus, illam in eo haerere posſe, quod fluida, licet ad transitum per vaſcula abſorbentia quoque aperta ſint apti, potius verſus inteſtina crasſa, quam verſus vaſcula abſorbentia adferantur. Hoc ſi fieret, illud non, niſi a motu progresſiuo horum humorum cum reliquis contentis in ipſis inteſtinis deprauato et quidem celeriori reddito, dependere posſet. Praeter enim hunc motum, quo mediante fluida de loco in locum mouentur, ſicque pars poſt partem vaſculis abſorbentibus adplicatur, ac ipſorum fluidorum adhaeſionem, nulla quum adſit in corpore noſtro ratio, cur fluida ad vaſa abſorbentia adferantur; adhaeſio vero absque qualitate humorum muta-

mutata mutari nequeat (§. 18.), de qua nobis hic ſermo non eſt; nullam, niſi hunc motum progreſſiuum mutatum, ad dictum effectum producendum accuſare licebit cauſam.

§. 30.

Nec quoque, niſi quatenus hic motus celerior redditus eſt, adfluxus humorum ex inteſtinis tenuibus ad craſſa erit auctus. Iuſto enim tardiorem ſi ponamus hunc motum, humores inde eo diutius in inteſtinis tenuibus remanerent, vnde, caeteris paribus, eorum transitus per vaſa abſorbentia adhuc augeretur, adeoque, vt fluida potius minori quantitate ad inteſtina craſſa peruenirent, inde ſequeretur, quam vt eorum adfluxus huc verſus auctus ſit. Idem hoc valere de motu hoc plane ceſſante, vel et retrogrado, per ſe patet, quum inde fluida plane ad inteſtina craſſa non perueniant. Iuſto autem celerior quando motus hic fit, adfluxus fluidorum inde ad locum excretionis maior erit, contenta enim inteſtinorum tunc non tam diu in inteſtinis remanebunt, vt fluidum eorum omne ſucceſſiue oſculis vaſorum abſorbentium adplicari queat, ſed quatenus adhuc ſunt fluidis mixta ad craſſa inteſtina, ſicque ad locum excretionis deuenient.

§. 31.

Contentorum transitus cauſa immediata quum ſit motus periſtalticus inteſtinorum, ac in quibusdam locis pondus ipſorum contentorum, hoc vero absque copia maiori ad maiorem gradum augeri nequeat, ſequitur vt motus contentorum celerioris cauſa in motu periſtaltico inteſtinorum mutato haereat. Hic vero duplici modo mutari poterit, quum enim motus periſtal-

ticus consistat in contractione ac relaxatione intestinorum ope fibrarum eorum muscularium alternatim fiente, mutatus hic motus erit: aut quando vna harum actionum, v. c. contractio, aucta vel imminuta est, quod simul alteram minimum non vel contrario modo mutatam inuoluit; aut quando ambo simul alternatim auctae vel imminutae sunt. Prius quod attinet, contractionem nempe intestinorum auctam, haec, si sola ac persistens adest, humorum ex intestinis tenuibus ad crassa adfluxum non augebit. Haec enim si fieret, etiamsi contractio de superiori versus inferiorem locum contingeret, contenta tamen ad breue tantum tempus deorsum pellerentur; occlusis vero, per contractionem, intestinorum cauis, subsequentibus fluidis via simul praecluderetur; vnde tantum abest vt motus eorum inde celerior fiat, vt potius plane cesset.

§. 32.

Nec contractio intestinorum solum imminuta talem effectum (§. 30.) producere posse videtur. Quanquam enim verum sit, defluxum fluidorum ex pondere inde promoueri, hoc tamen tantum locum habebit in locis intestinorum decliuibus; quum autem intestina non semper descendant, sed aliquando quoque adscendant, in locis vbi intestina adscendunt, haec vis intestinorum sese contrahendi deficiens motum contentorum magis impediret; vnde vel nulla eorum motus oriretur mutatio, vel, si quaedam fieret, potius tardior quam celerior inde euaderet. Idem hoc valere de contractione ac relaxatione intestinorum alternatim imminuta per se patet, quum inde motus contentorum quoque tardior fiat.

§. 33.

§. 33.

Nihil igitur reſtat, quam vt hunc effectum in contractione ac relaxatione inteſtinorum alternatim aucta, vno verbo in motu periſtaltico frequentiori quaeramus. Cuius cauſam conſtituent vel ipſorum inteſtinorum aliqualis debilitas, vel eorum tenſio ac irritatio. Inteſtina enim non nimium debilia a pondere fluidorum, quod in ſtatu ſano absque extenſione ferre posſent, extenduntur, quam extenſionem, vti experientia, id in omnibus fibris muſcularibus fieri, demonſtat, ſequitur eorum maior contractio. Idem hoc fiet ſi ex alia cauſa inteſtina irritata ſunt. Quod vero ſpeciatim haec et non illa (§. 31.) dicta contractio inde oriatur, illud in gradu irritationis haerere videtur, quum experientia monſtet, irritationem fortiorem, qualis absque dubio eſt illa, quae ob conſenſum e. c. a calculo in renibus vel veſica praeſente, oritur, aluum non reddere fluidam ſed potius obſtructam.

§. 34.

Ex hactenus igitur dictis ratio humorum ex inteſtinis tenuibus ad craſſa maioris adfluxus, adeoque humorum, quos (§. 8. n. 2.) memorauimus, ad anum adfluxus maioris (§. 12.) patet. Illud ſolum adhuc ratione duarum vltimo dictarum cauſarum (§. 33.) monendum erit, licet inde aluus fluida fiat, quatenus contenta celerius per canalem inteſtinorum traiiciuntur (§. 30.), easdem tamen hunc effectum quoque producere mediate, reliquas ſupra allegatas cauſas inducendo. Inteſtina enim nec tendi nec frequentius ſeſe mouere posſunt, quin ſimul tam fibrae vaſculorum abſorbentium, quam glandularum inteſtinalium, quippe in eorum tunicis haerentes, magis tendantur, ac ad contractionem irritentur,

tur, vnde tam harum (§. 23.) quam illorum (§. 28.) sequitur obſtructio.

§. 35.

Illorum fluidorum, quae (§. 8. n. 1.) nominauimus, quaeque in ſtatu ſano fecibus in teſtinis crasſis admiſcentur, ac ſimul cum illis per aluum excernuntur, maiorem ad anum adfluxum quod attinet, non opus erit, vt hunc dilucidando multis immoremur. Hi enim humores, quum tantum inſeruiant, vt fecum nimia cohaeſio tam inter ſe quam cum parietibus inteſtinorum impediatur, ad hanc vero impediendam parca copia fluidorum ſufficiat, in ſtatu ſano non in tanta quantitate ſecernentur, vt, ſi quoque ea copia ad anum peruenirent, aluus inde euadere queat fluida; id quod et dicta (§. 11.) a poſteriori probant. Si igitur ex horum adfluxu maiori aluus oriretur fluida, id alio modo fieri non poterit, niſi eorum ſecretio antea aucta ſit, aucta vero eorum ſecretione, maiori quoque copia ad anum defluent ex ſupra (§. 12. et 18.) data ratione. Quum vero horum ſecretio eodem modo, iisdemque ex cauſis augeatur, ac humorum ad inteſtina tenuia adfluentium ſeroſorum, ratio quoque horum humorum adfluxus ad locum excretionis aucti, ex illis quae hucusque diximus, ſatis patebit.

§. 36.

Hactenus de illorum fluidorum, quae in ſtatu ſano ad inteſtina tam tenuia, quam craſſa defluunt, adeoque de fluidorum poſterioris clasſis (§. 7.) ad anum adfluxu tali, vt aluus inde fluida euadat, egimus, cauſasque huius adfluxus expoſuimus. Quum vero experientia teſtetur, aliquando, licet non ita frequenter, fluida prioris

ris classis (§. 7.), quaeque in statu sano in cauo intestinorum nunquam inueniuntur, ope huius excretionis e corpore eliminari, de horum tam ad intestina, quam ad locum excretionis adfluxu generatim pauca adhuc adferemus.

§. 37.

Fluida, quae huc potissimum referri merentur, sunt, pus, sanies, humor atrabilarius, sanguis, pituita ac aqua. Duo priora fluida, pus nempe et sanies, si in intestinis adsunt, aut in ipsis intestinis sunt generata, aut ab aliis nostri corporis partibus huc deferuntur. Prius quod attinet, de hoc casu nobis sermo non erit, quum enim illud exulcerationem ipsorum intestinorum supponat, ac eius excretio absque insignioribus torminibus fieri nequeat, haec excretio potius ad Dysenteriam erit referenda (§.3.). Ad intestina autem quando deferuntur, hoc duplici contingere potest modo, aut enim huc defluunt immediate, quando in loco quodam orta sunt, qui immediate cum cauo intestinorum connectitur; aut mediate siue per circulum humorum. Priori modo ad intestina perueniunt, quando in toto illo canali, qui ab ore vsque ad intestina patet, generantur, tunc enim huc versus defluunt vti saliua, liquor oesophagi et caeteri in hac cauitate secreti humores, vel quando in viscere quodam oriuntur quod in statu sano humores suos in intestina deponit, e. g. in hepate aut pancreate, tunc enim per easdem vias, quas humores horum viscerum permeant, in cauum intestinorum perferuntur. Altero autem modo ad intestina defluere possunt ex quacunque parte nostri corporis, quando, ex loco vbi haerent, in vascula sanguifera ibi locorum praesentia trans-

eunt, ac cum Maſſa ſanguinea ad glandulas inteſtinales adferuntur, ac per ductuum harum glandularum orificia in cauum inteſtinorum deponuntur. Iisdem fere modis humor atrabilarius, quando ad inteſtina peruenit, huc deuoluitur; ſi enim in corpore noſtro adeſt, vel in viſcere quodam haeret, vel Maſſae ſanguineae eſt admixtus. In priori caſu immediate ad cauum inteſtinorum perferri poteſt, quando viſcus hoc cum canali inteſtinorum connectitur, aut mediate, quando antea ad Maſſam ſanguineam tranſiit, ſicque ad glandulas inteſtinales defertur.

§. 38.

Sanguinis adfluxum ad inteſtina quod attinet, hic iterum duplici modo fieri poteſt. Quum enim humores, qui in ſtatu nturali ad inteſtinorum cauum defluunt, omnes ex Maſſa ſanguinea ſecernantur, (§. 10.), ac ſanguis ad vaſcula eorum ſecernentia adfluat, ſanguis loco horum humorum, vel et cum his humoribus mixtus, ad inteſtina adferri poteſt, quando, ex quacunque cauſa, haec vaſcula tranſit. Idem vero hic ſanguinis adfluxus quoque aderit, quando transitus eius immediate ex vaſculis ſanguiferis in tota via ab ore vsque in cauum inteſtinorum fit; ſi modo in hoc vltimo caſu locus transitus ano non ſit proxima, quando enim vaſcula ſanguifera iuxta anum ſanguinem plorant, hæc excretio ſanguinis ad fluxum haemorrhoidalem potius referri deberet (§. 6.). Quando autem aqua, in abdomine vel cauitate pectoris haerens, ad canalem inteſtinorum defertur, hoc non niſi vnico fieri poteſt modo, dum nempe in vaſa abſorbentia, in omnibus noſtri corporis cauitatibus praeſentia, tranſit, ac ope circuli humorum in cauum inteſtinorum defluit; plane enim alia ex his

cauita-

cauitatibus immediate in inteſtina non datur via. De pituitae vero adfluxu ſpeciatim vt dicamus non opus erit, quum illa non niſi ſerum ſit maiori gradu cohaeſionis ſiue viſcedinis praedictum.

§. 39.

Ratio, cur ſingula haec quoque fluida, ad inteſtina allata, ad locum excretionis defluunt, ex iis, quae de fluidorum in ſtatu ſano ad anum adfluxu ſupra diximus, facile perſpicitur: aut enim ſtatim in inteſtina craſſa deponuntur, tunc ex eadem ratione, ex qua humores in his inteſtinis ſecreti et maiori copia adfluentes, (§. 35. 18.) ad anum perferuntur; aut ad inteſtina tenuia prius adfluunt. In hoc vltimo caſu ratio eorum ad locum excretionis defluxus haeret partim immediate in fluidis allatis, quatenus nempe maiori copia adfluunt (§. 18.), partim mediate, quatenus ex acrimonia aut viſciditate tam vaſa abſorbentia obſtruunt, adeoque ſibimet ipſi viam ad Maſſam ſanguineam praecludunt, (§. 28.) quam inteſtina ad frequentiorem contractionem irritant (§. 33.).

§. 40.

Perſpeximus igitur hucusque fluidorum, tam in ſtatu ſano in inteſtinis praeſentium, quam praeternaturaliter ad inteſtina delatorum, ad locum excretionis adfluxus cauſas; ac modos quoque, quibus hæc vltima ad cauum inteſtinorum peruenire queunt, dedimus; de primo igitur, quod, vt diarrhoea adſit, requiritur, aluus nempe vt ſit fluida (§. 4.) egimus. Hoc vnicum adhuc monendum erit, tametſi de ſingulorum horum fluidorum adfluxu ad anum ſingulatim diximus, nos tamen minime affirmare, in quacunque diarrhoea vnum horum

fluidorum ſolum excerni, quum experientia potius monſtret, rariſſime hoc fieri, ſaepiſſime vero quaedam eorum ſimul per hunc locum e corpore eliminari. Sic raro vllum caeterorum fluidorum excernitur, quin ſimul ſerum maiori copia euacuetur, cuius rei ratio generatim in irritatione, in omni maiori fluidorum ad inteſtina adfluxu praeſente (§. 44.), ac tam vaſorum abſorbentium quam glandularum inteſtinalium obſtructionem, adeoque maioris ſeri ad anum adfluxus cauſas producente, haeret (§. 34.); quanquam ſpeciatim eadem obſtructio tam harum, quam illorum etiam immediate a fluidis allatis oriatur, ſi fluida ſimul ſint viſcida vel acria, quae quoque glandulas inteſtinales, ſi per eorum ductuum orificia in cauum inteſtinorum deponuntur, antea ab intra obſtruunt ac dilatant (§. 23.). E contra vero ſerum nunquam maiori copia excerni poteſt, quin bilis ſimul eliminetur: ex irritatione enim inteſtinorum ſequitur quoque irritatio veſiculae fellis, vtpote cum inteſtinis ope ductus excretorii ac ligamentorum connexae, vnde etiam bilis ad inteſtina adfluxus maior, adeoque excretio per aluum aucta erit (§. 26.). Vſu tamen inualuit, vt diarrhoea dicatur ſeroſa quando ſerum cum parca copia bilis excernitur; bilioſa autem quando bilis maiori ac ſenſibili quantitate ſimul euacuatur; a caeteris autem fluidis nomina ſortiri ſolet, parca licet tantum eorum copia fluidis excretis admixta ſit.

§. 41.

De copioſioris huius aluinae excretionis (§. 4.) cauſis multa vt dicamus non opus erit, quum enim aluus fieri non poſſit fluida niſi fluida per hanc viam e corpore eliminentur, quae in ſtatu ſano non vel non in tanta quantitate

titate excernuntur, per ſe patet easdem cauſas, quae aluum reddunt fluidam, etiam excretionem reddere copioſiorem, praeter enim illa, quae in ſtatu ſano excernuntur, accedunt adhuc partes fluidae. Variabit tamen copia excretorum, partim ratione maioris aut minoris quantitatis fluidorum ad inteſtina allatorum, partim ratione numeri vaſorum abſorbentium obſtructorum, quo enim plura horum vaſculorum ſunt obſtructa, eo maiori quantitate fluida in inteſtinis tenuibus remanebunt, ac ad locum excretionis defluent.

§. 42.

Nihil igitur reſtat, quam vt adhuc in frequentioris huius excretionis rationem, ſiue, quum contenta inteſtinorum excernantur, quatenus ad anum deueniunt, in cauſam, quae efficit vt contenta frequentius ad anum adferantur inquiramus. Triplici autem modo contenta inteſtinorum frequentius ad locum excretionis peruenire queunt. Feces enim quum in ſtatu naturali non ex propria vi, minimum non in tota via, ad anum aduenïant, ſed potius huic eorum motui, tam ex pondere, in illis nempe locis vbi inteſtina aſcendunt, quam ex cohaeſione reſiſtant, ac moueantur primario, quatenus ex inteſtinorum contractione propelluntur; frequentius propelli queunt, quando vel reſiſtentia, quam contenta eorum propulſioni dant, imminuta eſt; vel quando vis pellens aucta eſt; vel quando vtrumque adeſt.

§. 43.

Non vero neceſſe quoque erit, ad hanc frequentiorem excretionem explicandam, vt alias praeter ſupra allegatas, maioris fluidorum ad inteſtina craſſa adfluxus

caufas in fubfidium quaeramus, quum eaedem hae caufae, quanquam non immediate, tamen mediate, vtroque (§. 42.) dicto modo, hunc effectum producere poffint. Prius enim refiftentiam nempe quod attinet, haec inde imminuta erit quatenus contenta funt fluida. Licet enim illa, quam contenta ex pondere praebent, refiftentia ex eorum fluiditate non imminuatur, illa tamen quae ex cohaefione eft inde admodum imminuta erit. Quum enim fluida tam inter fe quam cum parietibus inteftinorum minus cohaereant, ex eorum minori cum inteftinis cohaefione fequitur, vt, eadem, quae in ftatu naturali adeft, vi facilius quam in ftatu fano propellantur; ex eorum vero minori inter fe cohaefione, vt in locis minimum inteftinorum decliuibus non in vnam coire queant maffam, fed partitim defluant; cui accedit, quod fluida facilius per loca inteftinorum valuulofa, praecipue inteftinorum crafforum, transire queant, quam folida vel magis cohaerentia.

§. 44.

Eaedem vero hae caufae (§. 43.) etiam altero modo, quatenus nempe vis pellens fiue motus periftalticus inde augetur, excretionem frequentiorem reddent. Si enim ponamus, motum periftalticum in inteftinis tenuibus praeternaturaliter auctum huius maioris fluidorum adfluxus ad locum excretionis caufam effe (§. 33.), hic augeri non poteft, quin fimul idem motus in inteftinis craffis augeatur, experientia enim tefte nouimus, vno complexu fibrarum ad praeternaturalem contractionem irritato, alias cum his connexas fibras itidem fefe contrahere. Quando autem alia huius contentorum in inteftinis craffis fluiditatis exftat caufa, contenta quatenus

funt

ſunt fluida in locis inteſtinorum decliuibus defluent (§. 43.), in locis autem vbi inteſtina aſcendunt collecta inteſtina extendent, adeoque ad maiorem contractionem, irritabunt. Huc accedit, quod ob maiorem copiam, cum fluiditate contentorum ſemper coniunctam, (§. 41.) haec tenſio adhuc eo magis augeatur.

§. 45.

Videtur quidem, dum de vi contenta in inteſtinis craſſis propellente dictum eſt, eam omiſſam eſſe, quae a compreſſione inteſtinorum ab extra fieri poſſet. Quanquam autem non negandum ſit, muſculos abdominales ac diaphragma ſeſe conſtringentes ad hanc contentorum in inteſtinis propulſionem ſymbolum ſuum conferre; quia tamen totus inteſtinorum canalis vbiuis fere aequaliter ab hiſce comprimitur muſculis, vix horum actio aliud quid ad motum contentorum conferre poterit, quam ſi contenta haereant iam in inteſtino recto: tunc enim, coarctando, ideoque magis elaſticum reddendo aërem inteſtinalem, excretionem fecum, praecipue paulo duriorum, adiuuant *, nec vnquam horum muſculorum actio in tantum augeri poterit, vt hanc propulſionem maiorem ſola producat. Id quod et eo apparet, quod, cum horum muſculorum actio in noſtra ſit poteſtate, licet haec actio omni ſtudio promoueatur, nunquam talis frequentia excretionis, quae in noſtro caſu adeſt, inde oriatur. Licet lubens largiar, hos muſculos etiam ad frequentiorem contentorum propulſionem concurrere, quatenus, ob eorum cum fibris inteſtinalibus conſenſum, ex harum contractione aucta etiam illi ad maiorem contractionem irritantur.



* Vener. PRAESID. Phyſiol. Med. §. 823.

§. 46.

Haec ſunt, quae de cauſis diarrhoeae tam ſeroſae quam bilioſae dicendi nobis animus erat. Caeterarum quoque ſpecierum, quantum ad ſcopum noſtrum, modum ac cauſam generatim adduximus. Iam de ſingularum harum ſpecierum cauſis remotioribus agendum eſſet. Ne vero nimis prolixi fiamus, illas tantum ex earum numero eligamus, quae praecipuis eius ſpeciebus, ſeroſae nempe ac bilioſae, anſam praebent, caeterarum vero cauſas remotas tantum adferemus, quatenus cum his coincidunt, vel earum actio ex praemiſſis facile perſpici poteſt.

§. 47.

Ex prima igitur harum cauſarum remotiorum claſſe, rebus nempe ſic dictis non naturalibus, ſeroſae ac bilioſae diarrhoeae anſam praebebunt, et quidem ſpeciatim I. Seroſae potiſſimum:

a) Aër humidus aeque ac frigidus; iſte enim quatenus humidum non abſumit, vterque autem, quia tranſpirationem inſenſibilem impedit, ſeri copiam, adeoque occaſionalem huius excretionis cauſam producit (§. 20.); hic vero quia humores ſimul ſpiſſiores reddit, qui, ad inteſtina delati, obſtructionem tam glandularum inteſtinalium (§. 23.) quam vaſorum abſorbentium (§. 28.) parant, ac ipſa inteſtina irritant (§. 33.).

b) Cibi pituitoſi vt piſces copioſi et farinacea non fermentata, quae agunt humores inſpiſſando; et potus aquoſus nimia copia ingeſtus, qui eodem modo agit vt aër humidus, ſi vero ſimul calidus eſt inteſtina debilitat (§. 33.).

c) Quies

c) Quies et ſomnus in exceſſu peccantes; augent enim humorum ſeroſorum quantitatem, eosdem inſpiſſant, et fibras debilitant.

d) Excretiones aliae, tam ſeroſae quam ſanguineae impeditae, quae eodem modo agunt vti de quiete et ſomno dictum.

e) Ex animi autem pathematibus timor ac moeror, qui partim ſpiſſitudinem humorum inducunt, partim ex ſpirituum motu inordinato inteſtina irritant.

II. Bilioſae autem potiſſimum:

Aër calidus et ſiccus; calidus enim, non temperando calorem noſtri corporis, particularum ſulphurearum, ſiccus autem, ſerum abſumendo, illarum vt et ſalinarum relatiue ad reliquas noſtri ſanguinis partes, adeoque particularum bilem conſtituentium, ergo et bilis copiam in ſanguine augent (§. 24.). Eodem modo motus corporis maior et vigiliae nimiae diarrhoeam bilioſam remote producunt, ex animi autem pathematibus ira, de qua iam dictum (§. 25.).

III. Vtrique vero tam bilioſae, quam ſeroſae, praeter iam dicta ſpeciatim, ac motum in exceſſu peccantem generatim,

Cibi acres et viſcidi e. g. fructus horaei immaturi, vel nimia copia ingeſti; quorum chylus ad inteſtina delatus dictas (n.a.) obſtructiones ac irritationem infert; vel ad Masſam ſanguineam ſi tranſit, bilis copiam, vt et huius ac caeterorum humorum acrimoniam ac vltimorum etiam ſpiſſitudinem parat. Item potus eiusdem cum cibis qualitatis e. g. cereuiſia non defecata, muſtum; qui eodem modo agit vt cibi, vel et ſpiri-

tuoſus

tuoſus nimia copia ingeſtus, vnde quibusdam hominibus diarrhoea poſt crapulam familiaris.

Ex quibus allatis illae cauſae, quas (n. II.) attulimus, vel etiam quae copiam ſanguinis augent, quorſum pertinent (n. d.) allegatae, vel, ex caeteris, quae acrimoniam ac ſpiſſitudinem humorum parant, ſanguineam excretionem producere poſſunt; ſanguine ob motum vel copiam maiorem vaſcula ſecretoria dilatante, vel et, ob acrimoniam et inde productam maiorem reſolutionem, vaſcula erodente vel tranſiente.

§. 48.

Ad cauſas vero remotiores, quae ex altera claſſe, rebus nempe naturalibus, deſumi ſolent, quod ſpectat, experientia monſtrat quaedam ſubiecta in genere diarrhoeis magis eſſe expoſita, quaedam vero ſingulari eiusdem ſpeciei. Ratione enim aetatis, infantes generatim huic malo magis obnoxii eſſe ſolent quam adulti, propter errores diaetae ac crudorum e. g. fructuum horaeorum nimiam ingeſtionem; ſpeciatim vero ſeroſae ob copiam maiorem ſeri, qua haec aetas prae aliis gaudet. Ex iisdem his rationibus, vt et ob maiorem ſenſibilitatem neruorum, vnde inteſtina facilius irritantur, foeminae facilius hoc malo laborant quam viri, quorum corpora in genere huic malo magis reſiſtere ſolent. Licet ſeroſa tamen diarrhoea magis affici ſoleant, qui inter eos ſunt temperamenti phlegmatici, vel habitus corporis ſpongioſi ac ſucculenti, ac vitae genere ſedentaria fruuntur: bilioſa autem, qui temperamenti ſunt cholerici, ob maiorem copiam bilioſarum partium in ſanguine eorum praeſentium ac inclinationem ad iram; ex qua vltima cauſa, animi nempe adfectu vehementiori

tiori et inde producto ſanguinis motu maiore, vt et ob acrimonium in his ſubiectis facilius oriundam ſanguineae diarrhoeae anſa quoque praebetur. Senes vero generatim ab hoc malo magis immunes eſſe docet experientia, cuius ratio in ſicciori eorum corporum ſtatu quaerenda erit.

§. 49.

Ex tertia cauſarum remotiorum claſſe, rebus nempe ſic dictis praeternaturalibus, huc referri merentur:

1) Febres, cuius rei ratio non difficilis eruenda: in omni enim febre quum adſit acrimonia ac viſciditas humorum, horum ad inteſtina allatorum actio ex dictis ſatis patet. Bilioſa tamen diarrhoea ſpeciatim ſequi ſolet eas febres, in quibus acrimonia magis quam viſciditas humorum accuſanda, vti omnes ſunt acutae, ex intermittentibus autem tertiana. Ex eadem hac acrimonia, vt et ex orgaſmo ſanguinis in febre praeſentibus, etiam ſanguinea oriri poteſt diarrhoea ex ratione (§. 47.) data. Hecticae autem febri, ſaltim in ſecundo eius gradu, accedere ſolet diarrhoea, dum ad inteſtina, ex longo morbo debilitata, fuſi ſimul ex acrimonia humores, magna copia adfluunt.

2) Variolae ac morbilli: in priorum enim declinatione, quando materia purulenta ad ſanguinem retrocedit ac in cauum inteſtinorum deponitur, (§. 37.) purulenta oriri ſolet diarrhoea. In principio vero horum morborum aliquando quoque diarrhoea tam ſeroſa quam bilioſa producitur, ab humoribus allatis, qui ſemper in his morbis viſciditate ac acrimonia peccant; vel etiam a ſaliua, eiusdem cum caeteris humoribus qualitatis, deglutita. Imo in variolis puſtulae ſaepe, ipſum cauum inteſtinorum obſidentes, tam puris quam ſeri excretionem

producunt; quod vltimum etiam efficiunt aphthae in ipſis inteſtinis praeſentes.

3) Dentitio difficilis; in hac enim ſaliua, tam ob inflammationem gingiuarum quam ob irritationem maiori copia ſecreta, ad inteſtina defluit.

4) Rachitis; notum enim eſt hoc malo affectos obſtructione, vel et ſcirrho glandularum meſenterii laborare, has vero glandulas vaſa abſorbentia quum tranſeant, vaſcula haec non poſſunt non comprimi adeoque obſtrui.

5) Omnes inflammationes ac vlcera interna; priores enim, ſi non benigne reſoluuntur, abeunt in ſuppurationem, oritur ergo pus, poſteriora autem gignunt ſaniem. Hydrops et Melancholia, quando haec circa finem humorem atrabilarium, vel critice vel ſymptomatice per anum euacuant; quorum fluidorum actionem ſupra iam dedimus (§. 37. 38. 39.)

6) Omnes denique huc referre licet morbos, qui acrimoniam ac ſtatum viſcidum humorum ſuponunt vt cachexia, ſcorbutus etc. imo quoscunque morbos chronicos, ſi diutius iam durarunt, quatenus nempe vt totum corpus ita et inteſtina debilitant. Ex eadem hac ratione Dyſenteriam etiam Diarrhaea ſeroſa ſequi ſolet, inteſtinorum nempe tunicis, harum eroſione praegreſſa, debilitatis; item aluum obſtructam per aliquot temporis ſpatium praegreſſam, vnde inteſtina a mole ac duritie contentorum et flatibus retentis extenſa adeoque debilitata ſunt.

Ex rebus autem toto genere praeternaturalibus adhuc in cenſum veniunt vermes in inteſtinis praeſentes, qui tam inteſtina vellicando, quam excrementa ſua acria huc deponendo agunt, vel quatenus excrementa eo-

rum

rum cum chylo ad ſanguinem feruntur, et acrimoniam humorum in toto corpore producunt.

§. 50.

Multa adhuc dicenda eſſent ratione diagnoſeos, tam quoad cognitionem huius mali, quam quoad eius a caeteris alui fluxibus, ac eius vnius ſpeciei ab altera diſtinctionem, vt et ratione prognoſeos ac ipſius curationis, ſi nobis animus eſſet integram de Diarrhoeis tradere doctrinam. Quum vero omnium horum decens expoſitio tractatum, qui limites ſpeciminis inauguralis longe excederet, expoſceret, haec, quae de earum cauſis diximus, ſufficiant. Pauca tantum de aliis diarrhoearum generatim diuiſionibus addere lubet, potiſſimum, quatenus, ratione diuerſarum allatarum cauſarum, ad diuerſas claſſes referuntur.

§. 51.

Praeter vero dictas, ratione diuerſae materiae excretae, diuiſiones (§. 40.), Diarrhoeae generatim diuidi ſolent in ſalutares et noxias, vel, ſi in morbis oriuntur, in criticas et ſymptomaticas. Ad ſalutares pertinent, potiſſimum ex ſeroſis, illa, quae ab aëre frigido et humido, vel excretionibus aliis ſeroſis interceptis, oriri ſolet; quum enim inde partes tam qualitate quam quantitate peccantes, quaeque, ſi in corpore remanerent, varias noxas ipſi inferre poſſent, e corpore eliminentur, haec earum excretio non niſi ſalutaris eſſe poteſt: Sic et diarrhoeae ex dentitione difficili ortae, niſi nimiae ſint, ſalutares eſſe ſolent, corpora enim minus repleta minus quoque conuulſionibus ſunt ſubiecta quam magis repleta. Ex bilioſis autem; quae ab aëre calido et ſicco vel et ab ira ortum trahit, quia inde etiam bilis, tam copia maiori quam acrimonia peccans, euacuatur, itemque ex vtrisque, quae a nimia copia potus ſpirituoſi, ſiue poſt crapulam, oritur, quum in hoc caſu itidem, mediante hac excretione, partes alias nociturae egerantur. Ex ſanguineis autem, quae a nimia copia ſanguinis producitur, ex eadem modo dicta ratione ſalutaris eſſe ſolet: cui accedit, quod ſanguis ſuperfluus ope huius excretionis minori cum periculo euacuetur, quam ſi in locis ad

vitam magis necessariis, e. g. in pulmone, vascula transiret. Ad noxias vero referri merentur tam ex serosis quam biliosis, quae a debilitate ductuum excretoriorum in intestinis, vel ab ipsorum intestinorum debilitate originem ducunt; omnis enim debilitas, praesertim in partibus internis, quum difficillimae sit curationis, hae diarrhoeae, praecipue si partes iam tunc deficientes inde eliminentur, non nisi noxios edere possunt effectus. Ex sanguineis autem ea, quae ab acrimonia erodente vel et vasculorum debilitate est, ex iisdem quas ratione vltimo dictarum attulimus causis, noxia erit.

§. 52.

Ad criticas autem siue in morbis salutares referri solent; quae in morbis a materia morbifica ad intestina delata, vel iam in intestinis praesente, oritur, modo iusto tempore ac cum leuamine aegroti fiat. Quorsum potissimum pertinet in febribus tam serosa quam biliosa ac sanguinea diarrhoea, quando excretio fit dum vires aegroti adhuc sufficiunt; itemque in variolis, quae oritur in declinatione morbi a pure in intestina delato, nec minus a saliua in dentitione difficili deglutita, vt et in hydrope, melancholia, ac inflamationibus et vlceribus internis, ab aqua, humore atrabilario, pure ac sanie in intestina delatis, si modo illa, quae supra diximus rite sese habeant. Ad symptomaticas autem, siue in morbis noxias pertinent: generatim omnium horum vltimo memoratorum fluidorum excretio, vt et diarrhoeae in febribus, quando contingunt viribus aegri iam deficientibus; vt et hae vltimae, quando ante materiae morbificae decentem ad excretionem praeparationem fiunt, itemque quae hecticae febri accedere solet, quae in variolis in principio morbi, vel in chronicis a debilitate intestinorum, vt et quae a scirrhis glandularum mesenterii, in rachitide laborantibus, originem ducunt. Omnes enim hae vltimo memoratae partim corpus adhuc vtilibus humoribus priuant, partim difficillimae sunt curationis.

* * * * * *
* * *

*PRAECELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO*
*ARTIS MEDICAE DOCTORANDO*

# GERHARDO MEIER

B R E M E N S I

ILLVSTRIS GYMNASII PATRII MEDIC. PROF. PVBL. ORDIN.
AC REIPVBLICAE PHYSICO DESIGNATO.

S. P. D.

## P R A E S E S.

RESPONDET egregie hoc Tuum ſpecimen inaugurale aſſiduo Tuo, ad perſpiciendum theſium medicarum nexum et fundamentum, in noſtra Academia adhibito ſtudio et ingenii Tui culturae. Ita enim eſt elaboratum vt nihil in eodem mutandum eſſe duxerim. Gratulor igitur Tibi tam egregium hocce eruditionis ſpecimen atque honores Doctorales mox obtinendos, quam amorem Patriae Tuae, quae, dum iam in abſente ciue perſpicit quantos fructus ex Te ſit perceptura, Tibi adhuc abſenti ſalutem ciuium et inſtitutionem iuuentutis ſuae, ex merito commendat. Faxit ſummum Numen vt diu viuas incolumis et adſit porro benigniter conatibus Tuis, et orbi erudito eris ornamentum multisque aegrotis atque Patriae ſolatium exoptatiſſimum. Vale. Dab. d. III. Octobris MDCCLII.

F Wohlan!

* * *

Wohlan! besteige dann die wahre Ehren-
Bahn,
Hygea sieht Dich selbst als ihren Liebling an:
Sie winckt; drum nahe Dich zu ihren heilgen
Throne,
Und nimm den Lorbeer-Reiß für Deinen Fleiß
zum Lohne.
Mein Wünschen ist Dein Glück das Deinem Wis-
sen gleicht,
Mit Deinem Wissen wächst, mit Deinem Wachs-
thum steigt.

Hierdurch wollte bey dem Hochgeehrtesten Herrn
Doctorand seinen ergebensten Glückwunsch
abstatten

A. H. L. Teichmeyer, Med. Dd.
OPPONENS.

---

PRAECELLENTISSIMO CLARISSIMO AC DOCTISSIMO
# DOMINO GERHARDO MEIER,
MEDIC. PROFESSORI ET REIPVBL. BREMENSIS PHYSICO DESIGNATO,
MEDICINAE DOCTORANDO DIGNISSIMO,
*FAVTORI ET AMICO SVO AESTVMATISSIMO,*
S. P. D.
PAVLLVS LANYI, Kesmarhino-Hungarus.
OPPONENS.

PIETATIS, modestiae et eruditionis tanta edidisti specimina, vt omnium bonorum animum TIBI deuincires, quid itaque mirum si tam egregia virtutem TVAM

sequun-

ſequuntur premia? Ita enim ſapienter accademicam inſtituiſti vitam, moribus item et diligentia indefeſſa inter ceteros adeo emines, vt plures ſint, qui potius perfectionis TVAE gradum admirentur, quam vt id faſtigium attingere valeant. Quare digniſſimum TE iudicat gratioſa Facultas Medica, quem purpura ornet doctorali, digniſſimum TE iudicat patria TVA dulciſſima, cui munus Profeſſoris et Phyſici demandet. Sic honor virtutem comitatur. Gratulor TIBI tantam dignitatem, gratulor patriae TVAE Ciuem optimum et Profeſſorem eruditum, gratulor Aegrotis Medicum pium et experientiſſimum, gratulor denique mihi (cui hactenus amicitia TVA frui licuit) quod TE videam primos diligentiae fructus capeſſere. Beet DEVS T. O. M. et in poſterum laudandos TVOS conatus, vt TIBI inde maxima emolumenta enaſcantur, ſtudioſae vero iuuentuti ſumma commoda, et miſeris Aegrotis nunquam non ſolatium exoptatum redundet. Ceterum ſi me porro amicitia TVA et amore dignum iudicabis, facies rem mihi longe acceptiſſimam Vale. Dabam Ienae. d. III. Octobris A. MDCCLII.

---

PRAECELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO

## DN. PROFESSORI ATQVE PHYSICO

REIPVBLICAE BREMENSIS ORDINARIO DESIGNATO

MEDICINAE DOCTORANDO DIGNISSIMO

*AMICO SVO OPTIMO*

S. P. D.

C. F. JAMPERT, OPPONENS.

Dat Galenus opes, dat Iuſtinianus honores. Prouerbium quanquam vulgare ſat, attamen non omnino verum. Multa nobis proſtant exempla contrarium docentia. Noſtrorum adhuc aetas minime Viris in re medica Illuſtribus, ſplendidiſſimis honoribus ſimul inſignibus vacat. Vix opus eſt, vt excitem

 nomi-

nomina in re medica Celeberrimorum et Illuſtrium Virorum cum nemo exiſtat, cui horum memoria non ſemper ſit ſancta grataque. Aſt rariora ſimul ſunt talia exempla, quia ſubiecta tale quid ex iuſto titulo merentia rariora ſunt. Non promiſcue honores ſummi cuiuis tribuuntur; iis tantum qui ob magna ſtudia eximiam ſibi acquiſiuerunt eruditionem. Interdum quidem et indignum ſplendidioribus inſigniri honoribus minime negari poteſt, quod caſu fortuito fieri ſolet, fortuna enim ligatis peragratur mundos oculis. Talibus vero munera iſta plus eſſe dedecori quam ornamento, quilibet per ſe perſpiciet. Te autem Profeſſor Excellentiſſime Phyſice Experientiſſime Amice perquam dilecte ex priorum numero eſſe, nullus negare poteſt, qui Te Tuamque hic vitam actam nouit. Me fortuna fauens teſtem ocularem biennem, curriculi Tui non ſat laudandi, a quolibet ſtudioſorum imitandi fecit. Contubernium noſtrum vt ſpero Te mihi intimiorem reddidit. Publice fateri debeo me nunquam tempus magis iucunde conſumſiſſe, quam ſi ſtudiis defatigatus, ex Te, tum artis noſtrae tum vitae agendae ſaluberrimas hauſi regulas. Magnum illud emolumentum quod TIBI acquiſiuiſti eruditionis plane meretur, Te adhuc ſtudioſi vitam degentem, tantis atque tam ſplendidis honoribus ab Illuſtri Bremanorum ſenatu eſſe imbutum. Gratulor TIBI tum munera impetrata, tum hodierna ſolemnia, quorum teſtis partim hilaris partim triſtiſſimus ego ſimul eſſe debeo, tum quia bona et munus honorificum amico meo optimo perfectiſſimo digniſſimo impertiuntur magis longe mihi grata, quam ſi mihimet ipſi eſſent illata, tum triſtiſſimus, quia ſimul eſt indicium, Te mox ad patrios abiturum iri lares et me amico dilectiſſimo imo plane ſine pari deſtitui, quo quidem dolore magis affligor, ac ex re alia triſtiſſima vix factum foret. Vnicum mihi adhuc ſupereſt ſolatium, dum ſpero, Te mihi et in poſterum fore amicum. Sincerrimum inſuper corculum meum vetat, quin omittam preces ardentiſſimas, ſimul pro Tua perpetua felicitate et perfectiſſima proſperitate aeternam. Det TIBI ſummum numen benigniſſimum merita remunerent, euentus omnes vbiuis felices ſecundos. Conſeruet Te Tuosque ſplendidiſſimos ſaluos incolumes. Sis Tuis ornamento, aegrotis ſaluti, mihique ſi placet amico. Vale. Dabam die IX. Octobr. MDCCLII.

PRAE-

PRAECELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO, DOCTISSIMO
MEDICINAE DOCTORANDO

# GERHARDO MEIERO,

DESIGNATO ILLVSTR. GYMNAS. BREMENS. PROFESSORI
MEDICINAE PVBLIC. ORDIN. NEC NON REIPVBL.
PHYSICO.

*S. P. D.*

HERM. FRIDER. HEINEKEN, Bremens.
Med. Cult. OPPONENS.

Et sic mihi tandem ista, quam dudum votis praesumsi, obtigit felicitas, vt TE, Fautor ac Amice perquam Dilecte, dignitate Doctorali ornatum nunc hodie videre measque congratulationes publice TIBI peragere queam. Quia vero nec verba nec argumenta sufficientia inuenire possum, quibus hanc meam laetitiam, qua exulto, gaudiumque, quo triumpho, exprimere possim, ideo multiplicibus applaudentium plausibus, qui hodie aures TVAS circumsonant, tacite tantum meas acclamationes addam; quae omnes eo tendunt, vt omnia in posterum, quando ad patrios lares redux es factus, TIBI ita eueniant, vti mereris et ob summam eruditionis TVAE acquisitae, qua multos antecellis, soliditatem, et ob reliquas, quibus emines, animi TVI egregias virtutes. Vale. Dab. Ienae d. XI. Octobris. cIↃ IↃCC LII.

Freund! höre ietzt, Apollo rufft:
Nimm an den Lorbeer, den ich Dich
Zum Zeichen Deines Sieges schencke.
Komm in mein innres Heiligthum,
Besteige jenen hohen Stuhl,
Bey Priestern meiner Heiligthümer.

Geh, zeig die Wunder der Natur,
Dort Deiner anvertrauten Schaar,
Die auf Dein Anschaun sehnend warten,
Und eile den Bedrängten zu.
Erscheine in der nahen Noth,
Und störr der Parcen wilde Siege.

Ja Freund! Du folgst dem hohen Ruf,
Und bauest auf der Nach-Welt Dich,
Die wolverdienten Ehren-Säulen.
Doch gönne Freund auf iener Höh,
Mich Deinem alten Freunde noch,
Daß ich glückwünschend Dich verehre.

Hiermit hat sich dem Hoch-Edlen und Hochgelahrten
Herrn Doctoranden zum beständigen Angedencken empfehlen wollen

Dessen

ergebenster Freund und Diener

J. E. Neumann,

D. R. B.

Schon

Schon Lob von uns verdienen solche Geister,
Die durch die edle Ruhmbegierde geführt,
Sich kühn von niedrem Hauffen schwingen,
Und Ehre suchen.

Doch größer ist der so wie Du mein Meier,
Nicht äußre Schmincke sucht; vergnügt nur damit;
Wahres Lob verdienen, und wissen
Vollkommen zu seyn.

Wie die Tugend selbst; nicht Verehrer suchet,
Vor den großen Hauffen, sich erst verbirget,
Von Kennern gefunden, mit größern
Glantz umgeben wird.

So wurdest auch Du schon frühe belohnet,
Von ächten Kennern wahrer Wissenschaften,
Und großen öffentlichen Lehrern,
Jüngst beygesetzet.

Wie würde sich die Lust bey uns vergrößern,
Da ietzo Freund Dich neue Ehre wincket:
Wenn nicht Dein uns zärtlicher Umgang
Dabey verließe.

Doch

Doch reise zum Troste der sehnenden Mutter,
Zur Freude des gantzen Hauses. Nur lasse
Dein ewig uns reizendes Beyspiel,
Es nachzuahmen.

Hiermit empfiehlet sich der beständigen Wohlgewogenheit des Hoch-Edlen und Hochgelahrten Herrn Doctoranden

Dessen

ergebenster Freund und Diener

G. Rhode, d. A. G. B.
aus Bremen.